Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quoad licitam receptionem. parag. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

volunt Majolus,*a* & Ugolinus, ſed certè nullo id fundamento dictum eſt, niſi fortè aliud addatur caput, quale poſſet eſſe infamia ex ejuſmodi fictione contracta.

PUER.

11. Is Puer, qui caret uſu rationis, id eſt, infans, capax eſt Ordinis. Unde validè eos ſuſcipere, docent communiter Doctores. *c*

12. Multi tamen addunt ex Doctrina Sancti *d* Thomæ, infantem invalidè ordinari in Epiſcopum, quia Epiſcopus conſecratur in paſtorem, ad quod munus eſt incapax, qui ratione caret. Sed certè, ſic etiam eſſet incapax poteſtatis ad abſolvendum à peccatis. Ergo non poſſet ordinari in Sacerdotem cum hac poteſtate. Propter hanc rationem, aliaſque, Diſcaſtillus *e* ſuſtinet, etiam infantem validè ordinari in Epiſcopum.

EXCOMMUNICATUS, QUEM NOlit Epiſcopus ordinare, &c.

13. Moris eſt, ut Epiſcopus, ante Ordinationem, enunciare faciat, ſe non intendere, ordinare excommunicatum, irregularem, nec furtivè accedentem ad Ordines, nec ſimiles. Iam quæritur, ſi quis ex dictis adhùc ad Ordines ſuſcipiendos accederet, validène ordinaretur, ſi non propriè ex defectu capacitatis ſuæ, certè ex defectu intentionis Epiſcopi? juvat enim hac occaſione, id breviter explicare.

Reſpondeo, eſſe multo probabilius, validè ordinari; Tum quia, ut habetur in Pontificali, poſt prædictam proteſtationem ſolet Epiſcopus, abſolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad effectum ſolum illos Ordines ſuſcipiendi: tum quia illam proteſtationem ad terrorem enunciat, habet autem animum etiam intruſos promovendi: Tum quia idem Epiſcopus (niſi oppoſitum conſtet) præſumitur, quando actu confert Ordines, voluntatem priorem, ſi quam contrariam habuit, mutare, & illum jam præſentem ordinare. Dico (niſi oppoſitum conſtet) nam ſi certò conſtaret, Epiſcopum perſiſtere in ea negativa voluntate, nec te abſoluiſſe; certum eſt, te Ordinem non recipere, quia intentio miniſtrantis ſemper requiritur ad

a *Maiol. de irreg. l. 1. c. 27. n. 4.*
b *Ugol. de irreg. c. 48 §. 1. n. 2.*
c *Doct. apud Leand. d. 5. Ord. q. 8. exc. un. de Cl. per ſaltum promoto, & ego ſup. indicavi c. 3. §. 3. nu. 15.*
d *S. Thom. aliiq. ap. Caſtrop. d. un. de Or. p. 7. n. 5.*
e *Dicaſti Or. d. 1. dub. 21. nu. 318.*

valorem Sacramenti. Ita *f* Sanchez, *g* Layman *h*, Theſaur. *i* Immo adverto, quando agitur de Sacerdotio, ſi aliquod ſit rationabile dubium de voluntate Epiſcopi, debere ſub conditione reiterari Sacerdotii initiationem, id enim perſuadet periculum gravium damnorum, ſi fortè prior initiatio fuit invalida, ut in univerſum alibi dictum eſt ſuperius.

Pro conſolatione Lectoris ſic benignè habet Sà: *Si Epiſcopus dicat. nolo, vel non intendo, ordinare excommunicatos, vel irregulares, intelligitur, ſi ſciat talem eſſe. Quare is, quem ordinat. non ſciens talem eſſe, verè eſt ordinatus.* Hæc Sà. Non tamen omitterem conditionatam Reordinationem.

§. II.

Quoad licitam receptionem Ordinum.

1. VT licitè quis Ordines recipiat, debet Primò, eſſe confirmatus.

II. Tantam habere ætatem, quantam requirunt Sacri Canones.

III. Titulum habere Patrimonii, vel beneficii, vel Religioſæ paupertatis.

IV. Non eſſe irregularem, vel ſimili affectum impedimento, quæ omnia impedimenta ſimul colligit Trullench. *k*

V. Sufficientibus eſſe literis peritum.

VI. Eſſe in ſtatu gratiæ.

Quoniam verò de Primò, Quartò *l*, Quintò, *m* & Sextò, *n* alibi commodior eſt tractandi locus, hìc ſolùm ſupereſt de duobus agere, puta de ætate, & de titulo.

DE ÆTATE Ordinandorum.

1. Quod illicitè, ſed tamen validè ordinetur infans, ſatis innuimus aliquantò ſuperius. *o* De adultis ergo agendum hìc erit.

2. Et quidem, quamvis, in Sacris Canonibus, alia ætas decreta olim pro Ordinibus ſuſcipiendis fuerit; hodie tamen ſequentes diſpoſitiones Concilii Tridentini ſunt obſervandæ.

ÆTAS PRO PRIMA Tonſura.

3. Ætas pro Tonſura eſt ſeptennium

f *Sanc. lib. 7. matr. d. 16. nu. 11.*
g *Layman de Sacr. in commun. ca. 4. n. 7.*
h *Theſaur. de pœnis Eccl. p. 2. V. Ordo c. 7.*
i *Sà V. Ordo nu. 38.*
k *Trull. de Or. diu. li. 6. c. un. dub. 11. n. 12.*
l *Li. 3. de Confirm. c. 3. §. 4. n. 4.*
m *Cum de irreg. c. 6. §. 1.*
n *Ibi. c. 12. §. 1. & 2.*
o *Supl. li. 1. de Sacr. in gen. c. 3. §. 2.*
p *Sup. c. 1. §. 3. nu. 15.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

completum. Non ſeptenni Tonſuram concedere, illa culpa erit, quam dicam nu. 6. Ejuſmodi ætas ſtatuitur in *a* jure, & colligitur ex Tridentino, *b* quod vult, ut initiandus prima Tonſura ſciat rudimenta fidei, & item legere, & ſcribere.

a *C. nullus de Temp. Ord. in 6.*
b *Trident. ſeſſ. 23. c. 4. de Reform.*

4. Quod, ſi ſeptennio minor comprehendatur ex præcoce ingenio, uſu rationis pollere, ac legere, & ſcribere ſciat, ordinari prima Tonſura poſſe, meritò docet Quintanadu. *c*

c *Quintã. de Or. ſing.* 21.

ÆTAS PRO MINORIBUS.

5. Ad Ordines Minores licet nonnulli, probabiliter *d* doceant, requiri annum ætatis decimumquartum, tamen probabilius *e* eſt, ſatis eſſe ſeptennium completum. Ratio eſt, quia non apparet prohibitio in contrarium. Quoniam tamen communiter non ſtatim à ſeptennio ſcit puer, quod requirit Tridentinum pro Minoribus, ideò communiter non ſtatim ſunt ordinandi.

d *Narb. de ætate ad an. 7. q. 9. n. 3. & ad ann. 12. q. 1. n. 6. aliique.*
e *Plur. apud Leand. de Ordin. d. 5. q. 2.*

6. Quæres. Peccatne mortaliter, qui Minoribus ordinat non ſeptennem, nam qui Majoribus, peccare mortaliter, non eſt dubium?

Reſpondeo, Qui ordinat ſaltem ſola prima Tonſura non ſeptennem, non peccare mortaliter, docent aliqui. Verum poſt prædictum c. *Nullus*, & poſt Tridentinum loc. cit. eſſe mortale, meritò docent Sanchez, *f* aliique: ſiquidem prohibitio eſt de re gravi. Excipit neceſſitatem, ſi quando hæc unquam adſit, ibidem Sanch.

f *Sanc. in Confeſſ. lib. 7. c. 1. d. 33. n. 15. & 16.*

ÆTAS PRO ORDINIBUS Majoribus.

7. Id ſic decernitur à Tridentino *g* *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 21. Ad Diaconatum ante 23. ad Preſbyteratum ante 25. ætatis ſuæ annum promoveatur.*

g *Trident. ſeſſ. 23. c. 12. de Reform.*

8. Satis eſſe, ſi ii anni ſint incepti, etiam per unum diem, concors eſt Doctorum ſententia.

9. Si inceptus ſit dies, ſed nondum advenit hora nativitatis: vel, ſi venit nativitatis hora v. g. hora matutina, ſed non completus eſt dies, vel, ſi dies hic ſit biſextilis; an ordinari quis poſſit? &c. Vide apud Doctores; *h* ſunt enim hi caſus admodum rari, meque utiliora explicare volenti impedire non debent.

10. Illud non eſt omittendum. Quid enim fiet, ſi omnibus diligentiis factis, dubium ſit, an ætatem requiſitam quis habeat ad Ordines ſuſcipiendos?

11. Reſpondeo, Si dubium ſit negativum; non poteſt licitè promoveri, quia, ut univerſaliter alibi dixi, *i* certa obligatio ætatis requiſitæ non poteſt vinci ab incertitudine, qua laborat provectioris ætatis.

12. Si verò dubium ſit poſitivum, ideſt verè probabile ſit, te gaudere requiſitis annis, licet æquè probabile, immo probabilius ſit, illis non te gaudere, licitè ad Ordines admitti poteris, *k* quia, qui probabili ratione movetur ad operandum, prudenter operatur, atque adeò ſine culpa. Quidnam ſit verè probabile? vide omninò in noſtro Decal. lib. 1. cap. 3. §. 3. num. 11.

13. Si parentes ordinandi teſtentur de requiſita ætate, concedere Ordines, poterit ſine ſcrupulo, Epiſcopus; quia licet teſtimonium parentum pro filiis in aliqua alia materia ab aliquibus ſufficiens non judicetur, hic tamẽ, ubi in nullius eſt præjudicium, ſufficiens judicandum eſt. *l*

Ætatem pro Ordinatione incipere à die nativitatis, non verò à die conceptionis, oſtendit communis uſus, & colligitur ex doctrina, quam habet in ſimili Merolla. *m*

h *Boſſ. Th. moral. p. tit. 2. ſuppoſit. temp. n. 42. Leand. d. 6. de te. q. 6. quoad biſext. q. 10. Marchin. tr. 1. 5. cap. 4. Narb. de ætate ad ann. 12.*
i *l. 1. in Decal. c. 3. 7. V. an. & deinc. Sanc. l. 1. matrim. 45. n. 3.*
k *Colligitur ex dictis in dicto l. 1. in Decal. c. 3. §. 3. n. 7.*
l *Diana 1. tr. 1. reſ. 27.*
m *Merol. T. 2. d. 6. ana 660.*

§. III.

De Titulo ordinandorum.

1. TRidentinum *n* præcipit, ne quis poſſit ordinari in Sacris, niſi ad Titulum Beneficii, vel Patrimonii, vel Paupertatis, ejus ſcilicet, quam ſolemniter emittunt Religioſi, quales etiam eſſe eos, qui emittunt vota bienni in Societate JESU, decrevit Greg. *o* XIII. Ratio hujus diſpoſitionis fuit, ut ordinatus in Sacris haberet, unde ali honeſtè poſſet. Nam propterea quantitas Beneficii, vel Patrimonii arbitrio Epiſcopi remittitur ab eodem Tridentino, qui ſecundum varias regiones ſufficientem ſummam determinet. Sanè Synodus Panormitana *p* hodie requirit cenſum ſcutorum ſexaginta annuorum Panormi, in aliis verò Diœ- ceſis

n *Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de Ref.*
o *Greg. XIII. Quanto fructuoſius.*
p *Syn. P. p. 2. n. 3.*